

AD PETRUM LIPOMANUM HIERONYMI FILIUM VENETUM PATRITIUM,

GERONTICON LIBER PRIMUS

G_1 v.1 Sunt cordi Musae nobis, sunt carmina curae ;
 2 cetera quae vacuum tenuissent gaudia mentem
 3 omnia nunc semota ; refert haec una voluptas
 4 quicquid dulce olim sensu percepimus omni.
 5 His ergo hanc grati secretam ponimus aram :
 6 hic hederæ et lauri nec non et amoena vireta
 7 apricos inter colles, hic myrtea silva
 8 et Veneri sacer est lucus nec grata Lyæo
 9 mitis abest pendet quæ spissis uva racemis.
 10 Imprimis sternenda mihi est auro area multo,
 11 tum coeptæ e solido surgent adamante columnæ,
 12 quæis alte supra impositum consistere tectum
 13 institutam gemmis ornatum grandibus atque
 14 æternis densi vinctum compagibus aeris,
 15 jam quibus inter se nexis non ulla vetustas
 16 offuerit, quamquam validis conatibus obstet.
 17 Stabunt in medio diuæ templumque tenebunt.
 18 His ego dehinc coetu vatium comitatus honesto
 19 dona feram non quæ vulgo consuevimus illis
 20 offerre at rerum prorsus rarissima quæque
 21 nobilium, quales tantum seponere summi
 22 electas omni e numero potuere poetæ.
 23 Tuque ades, o gentis Lipomanæ digna propago
 24 et rara iuuenis virtute ac moribus aucte
 25 eximiis, summa quæ cæli sede profecta
 26 eveniunt rectaque solent sub mente reponi.
 27 Tu mihi te vacuum da nunc et pectore puro :
 28 his ego te sacris adhiberi et fungier opto,
 29 quæ tibi nunc uni nobis commissa parantur.
 30 Ergo humeris primum vestem hanc candentibus albam
 31 induere et mecum tantis accingere rebus,
 32 adsistensque mihi puris e fontibus hauri
 33 divinum laticem ac manibus cape lilia plenis
 34 collectosque una vario de caespite flores.
 35 His demum late, dum verba precantia fundo
 36 ipse hæc Musarum dudum Phœbique sacerdos,
 37 sparge solum et suavi completo cuncta vapore :

38 "Phoebe, novem circum quem numina sancta sororum
 39 semper habent divisque illic Paeana canendo
 40 aeternam interdum spargunt mortalibus auram,
 41 unde vicens sumit dias in carmina vires
 42 spiritus et summo deducit ab aethere vatem,
 43 illius huic haustum fas sit sperare precanti,
 44 qui tibi toto animo primis famulatur ab annis.
 45 Is tibi candentem taurum niveamque juvencam
 46 constituet Musis sacrum viridemque quotannis
 47 appendet templi medio sub culmine laurum ;
 48 atque ignem hunc vobis, quo fervens ara renidet,
 49 et dabit et longa lucentem aetate fovebit.
 50 Vos rata jam nutu facietis cuncta benigno."
 51 Haec precor, at tu etiam supplex in vota precesque,
 52 o juvenis quem mox superi ad majora reservant,
 53 insinua temet divinis, omnia quando
 54 rite tibi sunt acta ; deus nanque omine certo
 55 annuit et liquidis fulsere altaria flammis.

AD LEONEM X PONTIFICEM MAXIMUM :

ASCENSUS PRIMUS AD DEUM

G_2 v.1 Jam multa mecum conor et volvo diu
 2 promissa siqua parte persolvi queant,
 3 quae, sancte quondam feceram Pater, tibi
 4 ubi occupatas detinebam parvulo
 5 aures libello forsitan ineptus tuas,
 6 arcana quamvis ederem illic daedalae
 7 naturae et artis praepotentis munera.
 8 An non inepte facere sum visus quidem,
 9 cum mira apud te illa fore tum confiderem
 10 vecors, videri cui potest mirum nihil,
 11 humanitatis cum supragressus modum
 12 humana pariter cuncta parvi feceris
 13 statim nec humile imumve cogitaveris
 14 quicquam, supremae sedis ut adisti gradus
 15 Divumque inisti tantus in terris vicem ?
 16 Sed haec fuere : nunc quod instat pergimus,
 17 tuo favente concitati numine,
 18 ordiri et ea, quae pollicebar, reddere,
 19 ut quimus utque spiritus caelo potens
 20 afflat pusillis. Tu serena videris
 21 haec mente suppliciter precamur, qua soles
 22 quae offeruntur cumque tibi, neque abnuas
 23 impendere mihi paululum interdum morae
 24 haec donec intus intuens inspexeris
 25 an forte recta tendimus per arduum,
 26 quod nunc inimus hos ad ascensus, iter.
 27 Non esse secum dixit insanus Deum
 28 excorsque et impos mentis, expers consili,
 29 rationis ac pietatis omnis indigens.
 30 At esse sapiens mente primum concipit,

31 dehinc voce clamans splendida palam facit
32 non esse tantum, sed potenter dextera
33 eum tenere regereque et nutu suo,
34 quae cuncta fecit, temperare et omnibus
35 adesse ubique et imperare singulis.
36 Verum haud leve est videre quos scandat gradus
37 haec quisquis animo versat et tendit supra
38 id, quo potest numquam ulla vis mortalium
39 conata ferri, ni superna caelitus
40 spirarit aura ac Illius nisi favor
41 praesto sit, ipsa cujus haec perquirimus
42 dicenda, nullo non furore perciti.
43 Pavor tremorque, cui comes reverentia
44 qua non alia sit major, hinc et hinc premunt
45 nosque admonent sic parvulos pondus grave
46 et impar humeris haud subire. Verum amor
47 potens inaccessa facere olim pervia,
48 cum spes fidesque prodeunt illi obviam,
49 hortatur atque paene cogit ingredi
50 orationis intimae latens iter.
51 Quid ergo agam tu mi impera, Deus meus,
52 Rex unus omnium ac herus solus mihi.
53 jubensne Domine ? Forsitan quidem jubes ;
54 nam non video ut aliunde spirari haec queant.
55 Experiar igitur ; Tu, precor, coeptis fave
56 volensque et adsis et jubens praesis mihi,
57 si nostra non superbit haec precatio.
58 Testantur opera Te tua, enarrant poli
59 tuam per orbem indesinenter gloriam.
60 Est nam quis adeo, cum superna suspicit,
61 vecors rudisque, qui statim non cogitet
62 ac volvat ipse saepius secum stupens
63 quae quantaque videat, quibus vel orbibus
64 ferantur illa aut quas vicissitudines
65 servent ratorum consecuta temporum
66 semper tenorem, legis haud casu datae
67 jussu, sed una aequante Providentia
68 cuncta haec benigno distributa munere ?
69 Quis rursus, orbis ceteras partes videns
70 interque versans, desinat mirarier
71 terrae patentem subjacentis ambitum
72 fusumque supra continenter aera
73 terraeque circum margines fusum mare
74 et quicquid haec exornat atque in his simul
75 vitam peragit, ut omne stirpium genus
76 quaecumque se tollunt humo et quae vestiunt
77 telluris almis aemulam gemmis cutim,
78 ut multiformis ac vagans animantium
79 proles per amplos sparsa tractus undique
80 terrae marique crescit et semper sua
81 vi fertur una, qua potest et qua prius
82 natura proprios impetus illi dedit ?
83 Adde his liquentis lucidosque fontium
84 fluxus et altis amnium cursus vadis
85 ripas amoenas inter, inter collium
86 aprica et herbis suavibus virentia

87 camporum. At imas montibus subsidere
 88 valles et altos erigi convallibus
 89 montes ab imis, limpidos sterni lacus
 90 subter virentum rupium cacumina
 91 quis non, serena mente qui sit praeditus,
 92 miratur ? Aut cui non quoque est miraculo
 93 immensa marium litorumque vastitas
 94 et insularum varius ac gratus situs
 95 quicquidque tandem reddit et servat decens
 96 ornatus orbis omnium pulcherrimus ?
 97 Quid ? Siquis ipse se intus ac extra aestimet
 98 et alterum se tum esse mundum sentiat
 99 opusque summi opificis ac munus sciat
 100 Deumque prope, idest illius ad imaginem
 101 et similitudinem editum, se noverit,
 102 divinitatis qui capax, sapientiae
 103 ac mentis aequae particeps sit, dotibus
 104 et exstet animi ac corporis tantis valens,
 105 pro dignitate ut sedeat, ut stet, ut ambulet,
 106 oris venustas agilitasque totius
 107 vultus ut illi gratior cunctis siet,
 108 vis insit animi tanta, tanta celeritas
 109 mentis vigorque tantus et solertia,
 110 qua paene cuncta suggerente discutit.
 111 Haec siquis, inquam, serius secum putet,
 112 emittet illam forsitan vocem simul
 113 cum vate summo gentibus palam canens :
 114 "Quam magna sunt opera, Rex regum, tua ;
 115 sapientia in tua creasti singula."
 116 Quin illud etiam sentiet verum legi,
 117 divina quae sunt, cum videri non queant,
 118 haec posse in his considerata conspici,
 119 quae fecit ille. Nam relictus unicus
 120 nobis ad illa est hic gradus, magno datus
 121 scandendus olim Mosi ut ante cerneret
 122 quae facta, non qui fecerat. Sed cum illa, quae
 123 fecisset opifex summus ac pater omnium
 124 immensus, incomprehensibilis, unus potens
 125 efficere quae fecit eademque perdere
 126 ut vult, ea, inquam, cum potenter omnia
 127 volvisset animo providus vates suo,
 128 ex his adivit omnium rerum ultimam
 129 et ipse causam primus ut homini datum est
 130 dum vita superest. Hic enim, faciem Dei
 131 dum quaerit avidus inspicere, vocem audiit
 132 dicentis : "Haud faciem videre quiveris
 133 meam, sed hoc te sub cavae rupis loco
 134 sistam manuque protegam dum transeam.
 135 At inde cum post auferam petra manum,
 136 videre posteriora tunc mea poteris."
 137 Haud ergo quisquam, quae assequi sensu nequit,
 138 divina quid sint quaeritans, intrinsecus
 139 rimetur ipsa, vasculo ne clauserit
 140 immensa maria, ut indicatum constitit
 141 dum quaerit illa maximus rerum quidem
 142 scrutator olim. Propter alti litora

143 maris undisona tendebat inquirens graves
144 sensus et amplum Trinitatis ambitum
145 Aurelius, in his totus ac solis vacans
146 quae cogitabat, forte nec tunc exitum
147 habebat unde inveniret anxius ;
148 cum dulcis illi visus est infantulus
149 parvam tenella sustinens concham manu
150 vastique lympa marmoris complens scrobem,
151 quam pronus ipse fecerat sibi prius
152 solis digitulis parvulisque nixibus.
153 Quod ille cernens : "Ecquid", inquit, "cogitas,
154 puelle, tantos aequoris fluctus cavo
155 telluris isthoc tantulo concludere ? "
156 Cui puer : "Et ipse quid facere, levis, putas,
157 qui te Illius, qui cuncta solus continet,
158 ullo nec ipse continetur, expetis
159 fieri capacem ? " Dixit, atque protinus
160 nubes per altas prodiens evanuit.
161 Est unus ergo congruus nobis modus
162 intelligendi, parte qua quimus, Deum,
163 per illa, quae jam facta sunt. Nam sensibus
164 et ipsa capimus, mente deinde sensuum
165 sequace tantorum creatorem unicum
166 sentimus intus, credimus, complectimur,
167 amamus, illi caritatis vinculo
168 tenemur adstricti illiusque denique
169 aeterna meritis consequi confidimus.
170 Ascensus hic est, quo crearat primitus
171 nos magnus orbis universi conditor,
172 ut vita praesit sensui, mentem ante eant
173 sensata, visis cognitisque exordia.
174 Nam cum virentibus arborum terram comis
175 ornasset atque floridis herbis solum
176 stravisset atque ut uberes fructus darent
177 mandasset, his est vita tum primis data.
178 At cum vel undas aerave vel aridam
179 animantibus complexisset, illa sensibus
180 et appetitus aucta vi mox reddidit.
181 Cum vero solers ultimo et mirum genus
182 fecisset hominum, mente quamprimum valens
183 effecit illud, non eis quoquam tamen
184 usu remotis, quae dedisset ceteris.
185 Quod ejus etiam jussa declarant statim :
186 "Deum", inquiunt, "ex corde toto diligas,
187 quod inde vita, fonte ceu, nobis fluat ;
188 anima ex quoque tua tota, id est et sensibus
189 cunctis et appetitu, ut ipsa est initium
190 animalia unde dicta sint ; ex denique
191 tota tua etiam mente, qua sola omnibus
192 praestamus his ubique quae terras colunt."
193 Hinc ergo per quae vivimus, per quae undique
194 sentimus et per quae creavit omnia
195 summusque et unus universi conditor,
196 hunc acie mentis esse aperte cernimus.
197 At estne forte consequenter altera
198 tui sequendi et assequendi semita,

199 clemens, misericors, omnibus praesens Deus ?
 200 Hanc Ipse nobis cognitam reddas et hac,
 201 siqua est, precamur supplices, nos ducito :
 202 est namque quippe et omnium potissima.
 203 Adversus excors ierat humanum genus
 204 mandata quondam ac inquinarat omnia
 205 unum futura saecla commissum scelus
 206 illoque cuncti sempiternis luctibus
 207 poenisque eramus destinati crimine.
 208 Cum nos tuentem Maximum e caelo Patrem
 209 immensa movit caritatis copia,
 210 natumque nostra pro salute ut mitteret
 211 effecit, illi tanta tum benignitas
 212 fuit, misericors tanta tum clementia.
 213 Versatus ergo est Ille nobiscum diu
 214 hic inter homines, inter ignaros Deus
 215 homoque, Summi Patris ut testis foret
 216 foretque nobis veritas et semita
 217 qua tenderemus ad supernam patriam.
 218 Testes at ipsi essemus excellentium,
 219 quas Ille res hic egerat nosque omnibus
 220 illas per orbem panderemus singuli,
 221 hic sanctitate puriter vitae diu
 222 actae, serendis ille in vulgum vocibus,
 223 quaecumque frugem comparant nobis bonam,
 224 doctrina at alius atque scriptis, mystica
 225 quae sensa magnis eruunt sacrariis ;
 226 et qui volentes sanguinem ac vitam pii
 227 fudere cruciatus per omnes antea
 228 ducti, labores inter ac angustias ;
 229 et quisquis alto pectore Hunc tandem gerit
 230 amoris arto colligatum vinculo,
 231 ipsumque praeter expetens unum nihil,
 232 testatur ejus mira, quae fecit, Patris
 233 suoque semper praedicanda nomine.
 234 Quorumque prorsus inscius rerum prius
 235 quid ipse dicam ? Quid secundum prosequar ?
 236 Sic magna cuncta sunt et excedentia
 237 humanitatis singulos captus simul.
 238 An cum, relictis insciis parentibus,
 239 jam natus annos nobilis duodecim
 240 inter peritos sedit in templo puer,
 241 eos, quod esset omnibus mirum, petens
 242 et audiens ? An quae deinde nuptiis
 243 miranda fecit, vina permutans aquis ?
 244 Vel cum precanti regulo dixit : "Tuus,
 245 i, natus etiam vivit" ac illa quidem
 246 jam morbus hora sospitem reliquerat ?
 247 Quid haec ad illa, quae sequuntur, dixerim,
 248 haec mira quamvis sint et ipsa maxime ?
 249 Surgit vocatus illico aegrotans senex
 250 ferensque sanus lectulum perambulatur.
 251 At caecus is, qui viderat numquam, videt.
 252 Ex quinque panibus et duobus piscibus
 253 Jesum sequutus redditur vulgus satur.
 254 Puella saxis verberanda publicis

255 detenta summo liberatur iudice,
 256 peccaret illa ne tamen quid amplius.
 257 Jam paene putridus excitatur mortuus
 258 et inter homines, ut prius, versans sedet,
 259 it, loquitur, audit, esurit, sitit, palam
 260 quaecumque vivens fecerat rursus facit.
 261 Verum quid infans ipse nunc ausim loqui,
 262 quae nec piorum maximus coetus virum
 263 explere pleno cunctus ore quiverit ?
 264 Haec finis ergo ; namque peccator miser
 265 quonam per illa pergerem loquens modo,
 266 quae mortis atque passionis ultima
 267 tuae fuerunt impiae mysteria,
 268 nostrum Redemptor omnium promptissime ?
 269 Quaenam paventi suppetent voces mihi
 270 quibus feratur concitus terris tremor
 271 lunaequae lumen abditum, solem datas
 272 circum tenebras, conditos suis patres
 273 surresse monumentis et in sanctam undique
 274 venisse civitatem et illic pluribus
 275 apparuisse post secutam gloriam
 276 tuam, subacta morte ? Sed quis omnium
 277 oculis potius hic lacrimas dabit meis,
 278 ut flere possim traditam duram Tibi
 279 necem ab nefandis impiis mortalibus,
 280 quorum salutis veneras huc gratia ?
 281 Dabit quis, inquam, lacrimas mihi, quibus
 282 tuos ad imos procidens pedes fleam,
 283 tuos solutis lacrimis lavem pedes,
 284 exosculer flens abluamque vulnera,
 285 inflictata sancto tam nefande corpori ?
 286 Te praeter ullus non dabit, nullus mihi
 287 ostendet unde verus emanat liquor
 288 vitae, nisi Tu. Nullus ut fleam miser
 289 docebit atque nullus ut laeter dabit
 290 Te praeter. Ut commissa nunc fleam mea
 291 da, Pater, ut orem, ut serviam soli Tibi,
 292 complectar ut Te, cetera ut nihil putem.
 293 Concede mentem jussa servandi tua
 294 et ex iniquis exeundi semitam
 295 ostende, qua Te sedulus solum sequar
 296 emancipatus unico tantum Tibi.
 297 Ut memet abnegem ipse, quam tollam crucem
 298 ostende mi nunc, postmodum ut laeter dabis,
 299 voles ut ipse, nam voluntas maxime
 300 tua hic et usque fiat et per omnia
 301 semper neque ulli placeat id, quod displicet
 302 tibi neque umquam. Tu salus solus mea
 303 servabis ergo, cum vias ostenderis
 304 salutis Ipse, cum mihi praesens dabis
 305 ut nocte Tecum promptus, ut Tecum die
 306 sim semper utque supplicem volens Tibi
 307 ne quo remittam temporis puncto tuum
 308 nomen, quod exstat omnium nomen supra,
 309 ardente, Jesu, caritate prosequi.

QUADRAGESIMA

G_3 v.1 Ergo animi interea semper pendebis ? Et unde
 2 incipias semel ignoras componere mentem,
 3 ne tibi continuis tot fluctuet anxia curis ?
 4 Semper idem progressus iter, numquam haec bona longe
 5 seposita et nobis adeo distantia cernes ?
 6 Quid differs ? Quid te variis ambagibus istis
 7 implicitum involvis magis et magis ingeris ultro ?
 8 Non brevia attendis vitae momenta caducae,
 9 non quod et hic omnes peregre perducimur et quod
 10 mox alio nobis properandum, ubi sistere tandem
 11 aeternum sit opus penitusque recedere nulli,
 12 atque bonos illic factorum praemia recte
 13 accipere, at sontes vitiorum pendere poenas ?
 14 Sed non quas vulgo referunt perferre sub imis
 15 manibus, aeternos ignes aut frigora dira :
 16 sint eadem et majora etiam tormenta licebit,
 17 verum, quod multo horrendum magis igne vel omni
 18 jactura est gravius, nullas visendus in horas
 19 ille opifex rerum, visu quo sancta fruuntur
 20 pectora, quae terris valido se tollere nixu
 21 jam potuere suo Superumque recondere coetu.
 22 Forsitan, heu, dubitas operum tibi conscius ullam
 23 spem fore, qua fretus valeas haec tanta mereri.
 24 Ne dubita, nam nulla cupit Rex damna suorum,
 25 quos quondam e nihilo, quod erat bonus Ipse piusque,
 26 fecerat assimilés cunctos Sibi ; deinde quod atram
 27 ingressus nebulam, recta, quam ostenderat illis,
 28 errare aspexit, durae ludibria mortis
 29 pertulit omnipotens, ut eisdem splendida vitae
 30 lumina praeferret, quibus haud errare liceret
 31 amplius ac certo possent insistere calle.
 32 Quare, age, ad Hunc junctis manibus concedere supplex
 33 audeto ; nam te venientem exspectat ut amplo
 34 in gremio accipiat. Perge, et commissa fateri
 35 incipias et te jam deliquisse dolentem
 36 paeniteat, quacumque etiam ratione modoque
 37 expurges promptusque luas pro crimine poenam,
 38 atque imo expressas penitus de pectore voces
 39 effundas Illi, cujus tibi Gratia plene
 40 mox aderit teque amplectetur, et undique caelo
 41 gaudia erunt quibus haud usquam majora supersint,
 42 illic namque magis gratari contigit uni
 43 converso a vitiis superum ad caelestia regna,
 44 quam si complures, quorum sanctissima vita
 45 in terris fuerit, supera ad convexa ferantur.

PASCA

G_4 v.1 Haec est illa dies, rerum quam condidit auctor.
 2 Ite omnes mecum, linguis animisque favete !
 3 Laeti omnes mecum laudes et laeta canendo
 4 carmina, sic Regi caelorum reddite grates
 5 tuque, Pater Sancte, in primis, cui plurima semper
 6 religio et verae fidei observantia cordi,
 7 perge diem laetus solenni dicere pompa
 8 muneris immenso plenam caelestis honore,
 9 utque soles regali ornatu et pectore puro
 10 proseguere, et cuncto demum hanc complectere cultu
 11 Christicolas inter proceres mediusque fideli
 12 concilio ac lecto praecelsus in ordine Patrum.
 13 Sat lachrimis tristisque datum pro tempore luctu,
 14 quamquam pro scelere haud satis est et crimine nostro !
 15 Sed tamen haec jugi deflevimus ore precesque
 16 addidimus, clemens quas exaudisse Redemptor
 17 creditur et fessis hominum jam parcere rebus.
 18 Hunc etiam ut miseris quondam violarit iniqua
 19 turba modis, tuleritque pius ludibria mille
 20 sensimus, haec eadem soliti memorare quotannis.
 21 Vidimus et, cunctis sibi quos elegerat Ipse
 22 discipulis aegre fugientibus, undique saeva
 23 latronum rabie saeptum durisque revinctum
 24 nexibus et foede ad proceres per compita raptum.
 25 Hic Illum ut vulgus vesanum riserit utque
 26 conspuerit flagrisque afflixerit, utque profano
 27 vexarit ritu divinum corpus, abunde
 28 hausimus e sanctis scriptoribus, omnia largo
 29 interea fletu complentes et grave mentis
 30 affectae toto promentes corde dolorem.
 31 Denique sublatum cruce vidimus omnipotentem
 32 cunctarum auctorem rerum perferre dolores
 33 et duros mortis cruciatus quos neque quisquam
 34 pertulit in terris umquam neque sensit et heu heu,
 35 ne nos aeternum moreremur, concidit Ille
 36 indutus mortalem hominem, qui cuncta creatat
 37 aeternus semperque manens semperque futurus
 38 idem, et qui nutu movet et quaecumque ministrat.
 39 Haec ita praeteritis fuerint celebrata diebus
 40 et, ritu servante, pio permixta dolore.
 41 Ast hodie lachrimis hilari perfundere mentem
 42 laetitia est opus et vultu praeferre sereno
 43 gaudia, quae nullis cedant, cum maximus Ipse,
 44 qui se deludi passus mortalibus aegris
 45 occiderat caede infanda, nunc morte subacta,
 46 conditione hominum superata, postibus Orci
 47 perfractis, victor supera ad convexa redire
 48 ut voluit subito se contulit et, Deus atque
 49 verus homo, sed non adeo mortalis ut ante
 50 amplius, at contra divino totus inhaerens
 51 qua mortalis erat, se nobis Ipse videndum
 52 praebuit, in dubio ne quid superesset et illa

53 luce resurgentem, qua se praedixerat, omnes
 54 nossemus pariterque necis vitaeque potentem.
 55 Quid nos ? An non cum Domino surgemus et ipsi ?
 56 Surgamus : primum a vitiis hic transitus esto
 57 ad summos apices, virtutem et religionem,
 58 mox ad caelestes Superos patriamque supernam.
 59 Non aliam ob causam supera de sede profectus
 60 hic adiit genus humanum, quam ducere Secum
 61 ut posset nos hinc alacres atque ire volentis.

AD TRYPHONEM CHABRIELEM PATRICIUM VENETUM

G_5 v.1 Quo sinitis, socii, me per deserta vagantem
 2 haec loca nunc ferri, quae jam tenebrosa sub antra,
 3 consertos inter vepres, atque aspera saxa
 4 ducunt et vario perplexum errore viarum
 5 exercent semperque premunt atque usque fatigant ?
 6 Nec vestrum quisquam tanto in discrimine dextram
 7 porrigit atque vagum fallaci in tramite sistis,
 8 aut docet ire viam praesens et in aequa reducit.
 9 Atqui olim multi, vel tu revocare solebas
 10 in primis me, care Tryphon, si forte parumper
 11 devius a recta jam declinare videbar.
 12 Orsus eram, ut parvae poterant in carmina vires,
 13 aetherei secreta procul vestigia cantus
 14 pone sequi, afflato quos olim protulit ore
 15 ad citharam vates, quem non imitabile carmen
 16 atque hominum supra captum cecinisse fatentur
 17 voce palam cuncti, qui sacra ad limina tendunt
 18 veri secreto commoti numine Phoebi.
 19 Atque ita suspiciens humilisque et pronus adorans,
 20 tentabam siqua ille mihi se forte favori
 21 praeberet precibus crebris oneratus et una
 22 affectu hoc nostro motus propriaene benigno
 23 assensu potius et solo munere mentis.
 24 Tandem hac spe tantum perstans, tum totus in illis,
 25 quae quondam is cecinisset, eram, nec cetera porro
 26 linquebam interea, legis praecepta vetustae
 27 quin legerem gravium auctorum, versabar et inter
 28 quae mihi grata forent atque apta senilibus annis.
 29 At nunc, nescio qua tenui dulcedine captus,
 30 aetatis praeter solitum juvenilia ludo.
 31 Ecquid permittes haec me per inania duci
 32 quae mihi, quae studiis non convenientia nostris,
 33 offendunt etiam purgatas protinus aures ?
 34 Cur me ad concentus cessas adhibere priores,
 35 quos mihi, non nulla solitus jam laude probare,
 36 subdideras celeres currenti saepius ictus ?
 37 Cur non hortari, cur non, velut ante, monere

38 instituis, vel, namque potes, me haec ad pia cogis
 39 munera ? Quae tibi sunt merito gratissima semper,
 40 vel quia Musarum tibi jam non ultima servit,
 41 optatus quotiens illarum ad culmina tendis,
 42 vel quod nostra piae miro conamine mentis
 43 sacra tenes eademque pari veneraris honore.
 44 Immo age, nam posco poterit quod utrumque decere,
 45 tentemus siquid forte aspiraverit ardens
 46 ille canor nobis, qui non divinitus umquam
 47 nil prorsum est modulatus, at aethera semper apertum
 48 intuitus regum Regem rex ipse canebat,
 49 atque uni laudes unique ferebat honorem.
 50 Tu prior, ipse sequar : sic me nam rursus, amice,
 51 ad non missa quidem, sed ad intermissa vocabis.

TRYPHON

52 "Quae desolatos ceperunt gaudia Patres,
 53 dispersos pavor horribilis quos egerat ante,
 54 cum Quem defunctum flerant exisse sepulchro
 55 viderunt miro percussi corda stupore ! "

AUGURELLUS

56 "Quae prosternatas ceperunt gaudia Matres,
 57 ut pavidis hilari se vultu nuntius ultro
 58 obtulit aethereo caeli de culmine missus,
 59 tristia qui placidis mulceret pectora dictis ! "

TRYPHON

60 "Qui tum custodum est coniectus in agmina terror,
 61 cum tremor invasit terras subitoque revulsum est,
 62 quod tumulo haerebat firmo pro tegmine, saxum ! "

AUGURELLUS

63 "Quo strepitu fugere mali sub Tartara Manes,
 64 cum se praeventos senserunt lumine tanto
 65 nec posse ulterius minimo sub tegmine condi ! "

TRYPHON

66 "At vertere boni sensus oculosque repente
 67 in Dominum inque ipsum rerum Patremque Deumque,
 68 inque exspectatum jam longo tempore Christum."

AUGURELLUS

69 "Quin alacres venere omnes in limina lucis
 70 aeterni praeventa ducis vexilla sequuti,
 71 sontibus et meritis miseris liquere tenebras.
 72 Sed tu desine plura, bonis nam certa parantur
 73 praemia visuris sedes quandoque beatas.
 74 Illic, cum primum in terris liquere caducum
 75 et mortale ipsi pondus, vis nulla laborum,
 76 nulla dolorum illos agitat, non ulla timoris,
 77 non fraudis, non ulla doli, quin dira voluptas
 78 innumero errorum semper comitata tumultu
 79 et quae mortales vexant et inaniter angunt
 80 caetera nonnullis illic admota propinquant.
 81 At secura quies nullisque exercita curis
 82 vita manet prorsusque bonis non indiga nostris.
 83 Vivunt contenti solo per saecula visu
 84 omnia nec requies illis datur ulla videndi,
 85 atque est his ea summa quies, hac namque beati
 86 perpetuoque illic aevo et sine fine fruuntur."

TRYPHON

87 "Sic tua caelestis favor hic incepta secundet,
 88 quo mihi tu tantum carmen cecinisse videris ;
 89 Aureli, studia haec atque hos ne desere cantus ! "
 90 "Immo haec, quae mihi nunc modulando multa dedisti
 91 adjumenta, Tryphon, ne tu fuge tradere rursus
 92 cum repetam, nam sic nostris afflabis honorem
 93 quale manus addunt ebori decus et tibi multa
 94 in nostrum quondam superabit gratia carmen."

AD ANTONIUM VONICAM TARVISINUM

G_6 v.1 "Quo me, quo Silides rapitis per flumina Nymphae ?
 2 Nec fluitantis equi teneo jam lora, nec ipse
 3 consilii compos valeo discernere qua me
 4 parte regam, sic hinc terrent majora fluenta,
 5 hinc obstat caenosa palus et lentatenaxque
 6 et qua quadrupedis possit vix ungula velli ! "
 7 Haec ego, vectoris dum vi ducebar in amnem ;
 8 sed timor omnis erat tamen ut ne gurgite in alto
 9 mergeret atque expes ferrer quacumque sub undas.
 10 Nam neque erat spes ulla mihi neque certa fidelis
 11 auxilii ratio, ingenti sed plena pavore
 12 omnia et expositis passim manifesta periclis.
 13 Ac neque quem Graii quondam finxere poetae
 14 quove lyram plectrumque tenens est vectus Arion
 15 auxilio poterat mihi tum se ostendere delphin,
 16 nare nec exiguis contento in flumine ripis
 17 immanis qui me, sublato gutture, cetus
 18 deglutiret, uti vatem jam mirus Ionam
 19 cepit hianti ore ac vasto sub ventre recondit.
 20 Ille Dei haud parens monitis qui jusserat urbem
 21 hunc petere extemplo Ninivem mandataque ferre
 22 horrenda, in Tharsos cum declinaret ut ipsum
 23 tamquam forte Deum, cernit qui cuncta, lateret,
 24 navem conscendit pavidus seseque sub imum
 25 ipse gubernaculum recipit pavitansque recondit.
 26 Interea magno misceri murmure pontus
 27 incipit, exhorrent nautae, timet ipse magister,
 28 et nunc cum sociis supplex in vota precatur,
 29 nunc tempestatis subitae perquirere causam
 30 conatur sortesque jacet, simul orat Ionam,
 31 quem sors ipsa super persederat, ut sibi et una
 32 omnibus ex aequo bene consulat. Ille salubre
 33 consilium dare ait, si se cuncti agmine facto
 34 in mare praecipitem jaciant : nanque unius esse
 35 nomine cuncta suo quae nunc incommoda ferrent,
 36 qui non jussa Dei subito perfecerit amens.
 37 Illi ergo, ut trepidis sese servare potestas
 38 offertur, rapiunt sublimem atque aequor in altum

39 projiciunt puppe ex alta, quem protinus amplo
40 ore ingens monstrum vorat atque in viscera condit.
41 Quid faceret ? Quo per latebras et caeca per exta
42 se ferat ? Auxilio cujus nitatur ut inde
43 exeat aut caeli procul illinc lumina cernat ?
44 Quod superest prorsus sapiens mox expedit unum :
45 orando supplex veniam petit, at Deus ultro
46 imperat : ille levi siccaque exponitur alga
47 illaesus, quanquam ipse truci detentus in alvo
48 jam triduum terna pariter cum nocte fuisset.
49 Ergo iterum populorum urbem rerumque potentem
50 jussus adit profertque palam minitancia verba.
51 Illi continuo pavitant ac jussa facessunt
52 et scelera his rite Deus expurgata remittit.
53 Parcere subjectis novit Pater et pius idem
54 humano quondam generi commissa pepercit
55 immeritamque luit nostro pro crimine poenam.
56 Mortem adiit ternosque dies jacuisse sepulchro
57 sustinuit totaque super mox gente salutem
58 attulit atque viam supera ad convexa reclusit.
59 Huic etiam quocumque loco, quo tempore cumque
60 magna vel aut jam parva velis, sunt omnia curae.
61 Nam quis me potuit tantis arcere periclis,
62 caelestis ni tum favor afforet et Deus ipse ?
63 Tu mecum, Antoni, precor, haec Vonica videto
64 atque eadem prudente diu cum mente voluta.
65 Nam dum ipse angustis agitabar talibus, ecce
66 assistunt juvenes duo protinus inque fluenta
67 prosilit alter ovans, ripa se continet alter
68 sedulus ; ille feri dextra capit et tenet aurem
69 ac mihi : "Ne metuas ! " inquit. Procedit et una
70 it mitis prius asper equus ripaeque propinquat
71 unde manum exponit placidus qui restitit ante,
72 meque ambo incolumem sicca tellure reponunt.
73 Deinde alacres abeunt, illis dum reddere conor
74 ac superis meritas imo de pectore grates.
75 Hos ego non ulla memini regione videre ;
76 sed mihi tum primum visi nec contigit ultra
77 vidisse hos alias, quorum si forte requiris
78 scire habitum : viridi florebat uterque juvena.
79 Sed mihi qui mediis praesens haerebat in undis
80 altior, ut qui equitem me tunc aequaret eundo
81 et latis ingens humeris incederet heros.
82 Quem vero attentum ripae de margine dixi
83 exspectare manumque ultro praebere roganti,
84 hic agilis dexterque et agendis omnibus aptus
85 rebus erat vultuque omnem praestabat honorem.
86 Quid geminos olim Pollucem et Castora jactet
87 prisca aetas multis praesentes saepe fuisse
88 auxilio ? Non hos etiam mihi fingere divos
89 de facie atque omni prorsus virtute liceret ?
90 Verum haec non adeo nos commentemur, amice,
91 sed nostris persaepe Deum succurrere rebus,
92 qui pius afflictis hominum miseretur et aegris
93 et male pro meritis nobis benefacta rependit.

AD BARTHOLOMAEUM AGOLANTUM TARVISINUM

G_7 v.1 Te quoque ad has epulas invitassemus, amice,
 2 noverimus ni te multis, Agolante, teneri,
 3 quae tibi jam gustanda prius sunt nempe necesse
 4 quam te isthuc conferre velis ad prandia nostra.
 5 Sic fortasse monent faciendum, ut praevia quaedam,
 6 quae gustum exacuant et quae sint grata, voremus,
 7 deinde assistamus mensae cunctando salubri.
 8 Coepisti propius rerum discernere causas
 9 ac, quo vis humana potest se ferre, laboras
 10 tendere et hoc animi studio te explere beati,
 11 siquid in humanis tamen est quod nomine tanto
 12 digneris ; nam quae linguis sunt tradita utrisque,
 13 jam pridem tibi nota : manent te grandia tantum
 14 caetera, quae versas, quibus et jam sedulus unis
 15 ipse diu incumbis, satur ut quandoque reversus
 16 expletusque illis veluti conviva sagacis
 17 ingenii, videas epularum an forsan odorem
 18 gustaris tantum, immunis expersque saporis.
 19 Sunt ea nimirum reliquis praestantia cunctis
 20 quae cupiunt quaeruntque etiam mortalia corda.
 21 Verum et ad haec, et in his semper sub luce maligna
 22 tendimus et variis sic circumfusa tenebris
 23 incidimus, simile ut veri quandoque repertum
 24 dicere vix possis casu, ratione quod optas
 25 quaesisse et propria tentas indagine mentis.
 26 Quam satius sapiens sophiam deducere caelo
 27 in terras dictus, qui contemplanda relinquens,
 28 quae reliqui assuerant totis perquirere aventes
 29 viribus, edocuit spectari proxima nobis,
 30 virtutem amplecti, vitia insectarier, omnem
 31 denique perpetua vitam componere lege !
 32 Sed quid is aut ulli, quamquam meliora sequuti
 33 sint aliis, poterunt nostris conferre ? Quid ipsis
 34 rebus inanis enim rerum contenderet umbra ?
 35 Una haec, quam sequimur, sapientia et unica virtus.
 36 Hujus nunc studio addicti vacuique tenemur.
 37 Hanc tu etiam, cum tempus erit (licet id quoque semper
 38 exstet et haud sero numquam incipiamus) ut illa
 39 quae tam nunc avidae sectaris, ceperis, inquam,
 40 ad plenum, amplectere quidem et sectabere solam.
 41 Impuleris fortasse et ut huc Cassellius alte
 42 conscendat tecum comes, aequalem ipse meum jam
 43 nunc orare Bononium adopto, ut dulcia tandem,
 44 quae canit, ad superum convertat carmina, laudes
 45 et gravis huc tanti divertat semita vatis.
 46 Nam Vonica meus jam pridem Antonius almam
 47 assiduis legem manibus versare putavit

48 esse viri, qui multa alias jam legerit et qui
 49 viderit expleta haec falsis et inanibus esse.
 50 Quanta est nostra quidem, ne quis se jactet, in ullis
 51 cognitio magnis ? Animo cum nempe capaci
 52 nemo adeo est qui se, nedum caelestia, captet.
 53 Nec fas forte ea scire, nisi cum libera prorsus
 54 corporeis vinclis et caeco carcere mens est ;
 55 ast eadem nos velle licet, simul ipsa frequenti
 56 suspicere affectu totaque requirere mente.
 57 Hinc amor ille potens, qui jam, simul atque reliquit
 58 in terris socias ferventes spemque fidemque,
 59 toto aevo electos demum comitatur Olympo.

AD PETRUM LIPOMANUM IN OBITU CLARAE SORORIS

G_8 v.1 Amoena, Petre, quae vides vagus loca
 2 putato vana te videre somnia
 3 nec esse quippe, sed videri et undique
 4 per altum inane lubricumque prospici.
 5 Aves canorae et arborum leves comae,
 6 et acre murmur insonansque frondium
 7 eas movente leniter favonio,
 8 canes per aequa fervidi, fugax lepus,
 9 Puella flore vinciens novo caput,
 10 amore laetus ac vagans levi puer,
 11 et omne, quod videris hic alacriter
 12 videre, prorsus umbra sunt perennium
 13 inanis ac valentium esse perpete
 14 in omne tempus. Ast opes, agri, domus,
 15 et ipsa vana sunt quoque haud habentia
 16 sui quid integrum suive quid potens,
 17 et usque firmum et usque consonum sibi.
 18 Nihilque forma, robur ac decor valent
 19 honorque ferre quo diu queat fore
 20 ibique quicquid editum sub aethere
 21 vides : caduca cuncta sunt, fluentia
 22 et usque, praeter id, quod alma munere
 23 dedit deorum et expetenda gratia
 24 tibi mihiq; ceterisque quibus datum est
 25 valere mente : mens enim modo viget
 26 futura semper ac humi simul grave
 27 reliquit ipsa pondus, ad sacras poli
 28 statim perennis et levis volat domos,
 29 ubi fruuntur aurea pii vice
 30 vigoris omnis ac salutis intimae ;
 31 vigor nec alter est, salus nec altera,
 32 bonum nec alterum, nec ulla ceteris
 33 beatitatis aut quietis actio
 34 inest, movente sed sub orbe fluctuant
 35 ubique cuncta. Firmior parum tamen
 36 is est hic unus, ima qui colens, supra


37 caput tuetur idque promptus exerit,
38 gravisque donec hic moratur, explicat
39 levisque et altus alitis pennas modo
40 caelumque mente, ceu solutus corpore,
41 petit. Sed haec est vita perfecti nimis
42 viri beata, qua frui pauci queunt
43 quamque ille (si qua id sustinet dici) tuus
44 colendus in primis sacerdos maxime
45 affectat atque, sponte spretis omnibus
46 quae mundus ultro viribus cunctis petit,
47 unam secutus, prorsus hanc complectitur ;
48 et nunc in altis montibus latens procul
49 a patria, amicis, atque caris omnibus
50 uni unus haerens, qua potest, uni studet
51 placere, cui se dedicavit unice,
52 nunc urbe degens percitos sontes metu
53 solatur, audit, excitat, terret, monet,
54 hortatur atque promovet miris modis,
55 viciis relictis, ad decens, ad fas, ad id
56 quod jure miseris convenit mortalibus.
57 Mox expeditos ad pios cultus trahit
58 ipsos volentes atque ad alta dirigit
59 spectanda, quae mens sic onusta corporis
60 torpore vix hallucinando suspicit.
61 Haec ille. Sed nos, qui secundis sedibus
62 debemur olim forsitan vel tertiis,
63 parere sanctis legibus compellimur,
64 servare mores, abstinere fraudibus,
65 vacare cupiditate, inani gloria,
66 iraque cunctis denique actionibus
67 prodesse multis et nocere nemini,
68 sese tueri, ne labemus, ne vagos
69 variosque cursus incidamus noxios,
70 quos nostra nobis semper huc infirmitas
71 apportat aut quos ille nobis ingerit
72 humanitatis persecutor impius.
73 Horum ipse conscius opifex rerum Deus
74 multos acerba morte quondam sustulit
75 multosque rursus forsitan (quae est Illius
76 immensa et infinita providentia)
77 exstinguet ante quam juvena illuxerit
78 illis serena, ne mala his contagio
79 contaminati prorsus orbis ingruat
80 labemque moris improbi secum trahant.
81 Lugent parentes inde cara pignora
82 abrepta variis et dolendis casibus.
83 Suos amores conjuges viros, suas
84 viri vicissim conjuges tenellulas
85 fletuque lacrimisque ac piis ululatibus
86 diesque noctesque expetunt, quaerunt, vocant
87 frustra miselli. Tu sororem saepius
88 adhuc requiris, ante quae diem cadens
89 desideria sui reliquit plurima
90 tibi, parenti, conjugii, cunctis suis,
91 virtute, forma, moribus sanctissimis,
92 quales decebant nobili exortam domo.

93 Sunt haec dolenda, sunt piis affectibus
94 haec prosequenda, non enim duro sumus
95 nec sentiente procreati robore,
96 natura at exstat insitus nobis dolor,
97 dolere fas est omnium cunctis vicem
98 carissimorum ac perpeti luctum diu,
99 quoad doloris justa vis resederit.
100 Est finis, ubi tete in sinum receperis
101 ac cogitaris esse jam receptui
102 tandem canendum, nostra ne si commodis
103 ejus feramus ante, videamur parum
104 sentire quid nos deceat et sanctissimae
105 exire jussos caritatis terminos.
106 Hanc vos videre, hanc alloqui, hac viva frui
107 velletis omnes, conjugii prolem dare
108 hanc caram, opibus uti suis, honoribus
109 fungi paratis utriusque splendida
110 virtute. Sunt humana quippe haec omnia
111 et expetenda et omnium gratissima.
112 Sed est quod illa forte ad haec fari queat
113 volvisse sese haec et cupisse consequi
114 dum vita staret, donec in terris diu
115 quaerendo quod non assequi quisquam potest,
116 ipsa elaboraret ; neque haec magni tamen
117 nunc adeo facere vel probare, ut anxie
118 terra marique, sedulo, domi foris
119 ut fit, petantur omnibus periculis
120 ac digna tanto sint honore denique,
121 errore mentis quantus his vanae datur,
122 quae si parentur, non minus molestiae
123 profecto quam jucunditatis afferant,
124 secumque multo sic melius actum putat
125 quam si juventam protulisset longius.
126 Vidisset, inquit, multa quae mortalibus
127 acerba casus vel voluntas attulit
128 maligna saepe vel potestas acrior,
129 quam ferre possit aequa virtus ullius
130 umquam vicissim : sic labor laboribus
131 connexus, alter alteri supervenit
132 semper nec ulla concitis semel quies
133 datur laborum vel malorum fluctibus.
134 Pluraque alia quoque, maxime vero omnium
135 privata, publica, universa incommoda,
136 iniqua patriae quae tulerunt tempora,
137 sensisset. At nunc Caelitum vacans choris
138 interque divas ambulans felicius
139 quibus beata perfruatur gaudiis
140 vix suspicari possumus, ne dicere
141 id audeamus his minutis versibus,
142 hoc praeter unum, quod, venusto nomine
143 jam Clara, nunc re sidus it clarum polo.

AD MARCUM HIERONYMUM VIDAM PATRICIUM CREMONENSEM

G_9 v.1 Esse ferunt collem Phoebos Musisque dicatum,
 2 quo cuncti pariter certant contendere vates
 3 atque sacrum approperant illuc haurire liquorem
 4 perpetuamque virere putant in vertice laurum,
 5 unde queant caput optata vincire corona.
 6 Cernere propterea est nonnullos montis ad imam
 7 radicem se ferre et sub radice morantis
 8 conterere hic aevi partem melioris, ut alta
 9 qui spectare procul contenti culmina siquid
 10 divini laticis valeant contingere summo
 11 tantum ore aut ramis felicibus arboris almae
 12 sorte aliqua frondis ullas legisse cadentes.
 13 Sunt etiam, ut referunt, et qui reptare laborant
 14 ad mediae saeptum magno conamine rupis,
 15 intra quod pauci sic admittuntur, ut unus
 16 hisce locis alterve queat satis esse videri.
 17 Quid qui infra positos ausus contemnere, sese
 18 tollit, et in summo scandentem vertice sistit
 19 atque inter lauros atque ipsa ad limina fontis
 20 constituit Musis aram Phoeboque sacerdos
 21 affaturque illic divos auditque videtque
 22 Felix ? O mihi si saltem in convalle propinqua
 23 versari detur ! Quid fortunatius optem ?
 24 Atque id nunc operam do, quo me demere vulgo
 25 assuescam mediterque procul divina tueri.
 26 Namque ultra proferre pedem, tardante senecta,
 27 haud ausim, satis est quoniam, si non pede claudo
 28 inferimur lutulenta atque in salebrosa viarum,
 29 qua multi e piscis etiam venere volentes.
 30 Tu vero, cui Seriadēs se ostendere Nymphae
 31 dignatae quacumque duces comitesque dedere,
 32 perge, juvetque jugi jam pervenisse sub alta
 33 culmina, dum vires ac dum, praestante juventa,
 34 Vida, potes quemcumque et adire et ferre laborem.
 35 Namque illic quodcumque agitas animoque revolvis
 36 praesto erit et tibi se manifesto in lumine pandet,
 37 ni penitus vanae modo me lusere puellae
 38 Pierides, miris e nexibus extricantes,
 39 cum tibi eas docta fingentes serica vidi
 40 fila manu properare atque internectere, queis se
 41 implicet atque volens pergat circumdare bombyx.
 42 Quin oriturum etiam vatem committere alendum
 43 formandumque tibi vidi illas omne certo,
 44 cum ter te attonitum duxere altaria circum
 45 atque eadem ternis etiam cinxere choreis
 46 actutumque tribus fulserunt omnia flammis.
 47 Praeterea ludos belli simulacra cientes
 48 edocuere modo quo grate dicere posses.
 49 Tum veros Martis strepitus et signa tubasque
 50 audire, atque videre interque horrentia ferri
 51 agmina concessere ac pleno ferre per orbem

52 aequato quondam certamine proelia cantu.
53 Quare, age, perpetuum primaque ab origine carmen
54 audacter, quod mente diu jam concipis, ede.
55 Ut scelus infandum gens ausa est impia quondam
56 cunctarum adversus rerum Patremque Deumque,
57 optima quem totiens adeo mandata docentem
58 audierant avidi, videre et mira frequenter
59 ac passim peragentem, et non mortalia quoquam
60 praestantem, at prorsus prae se divina ferentem.
61 Namque palam hauserunt oculis atque auribus ipsi,
62 ut primum in terris vagitus protulit infans
63 maximus, esse Deum, qui nos inviseret alto
64 demissus caelo, cum supra vilia tecta,
65 sub quibus in parvis jacuit praesepibus Ille,
66 videre insolitum radiis fulgentibus astrum,
67 caelestesque etiam supra sensere canentes,
68 et flexis Illum genibus venerantia bruta,
69 ac reges pariter diverso ex orbe sequutos
70 sideris exorti cursus et dona ferentes.
71 Cetera quid memorem tota sanctissima vita
72 acta Illi, confessa Deum et testantia solum ?
73 Haec te namque manent, haec te tua submonet ipsa
74 religio cultusque Dei et praestantia vitae
75 ordiri, atque super favet his tibi conscius aether
76 aeternumque parat ventura in saecula nomen.
77 Ipse autem, siquid me fors ea gratia tangit,
78 exiguam tantorum operum vel sumere partem
79 conabor totis ornandam viribus, aut, si
80 invalidi nequeant humeri jam pondera ferre,
81 in promptos saltem affectus et debita mentis
82 munera descendens, lacrimis mox cuncta replebo,
83 quo mihi cunque dabunt sese per carmina vires,
84 ad fixas clavis plantas, ad pectus apertum,
85 ad caput impressis confossum sentibus alnum.



LAVS DEO.